

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sacerdos d
cum fontibus proximo et medio et primo

Manipulus florum, Sacerdos d:

Presbyteri qui bene presunt uita et doctrina digni habentur a subditis duplici honore, scilicet ut spiritualiter eis obediant et exteriora bona ministrent.

Boni enim dispensatores et fideles non solum honore sublimi premiari debent, sed et terreno ut non contristentur indigentia sumptuum et gaudeant obediencia spiritualium.

Instancior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo auctoritas cum uidet se etiam in presenti laboris sui fructum percipere, ut non habundet sed ut non deficiat.

Glossa Augustini super illud I. Thimothei V.: Qui bene presunt.

Fons proximus:

Quasi dicat: Illud quod dixi de viduis, observa, et hoc etiam praecipue de presbyteris, a ut presbyteri qui bene presunt uita et doctrina, digni habeantur a subditis, duplici honore, ut scilicet spiritualiter eis obediant, et exteriora ministrent. ←

Boni enim dispensatores et fideles non solum honore sublimi praeveniri debent, sed et terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, et gaudeant obediencia spiritualium. ←

Instancior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo auctoritas, cum uidet se etiam in presenti laboris sui fructum percipere; non ut abundet sed ut non deficiat.

Petrus Lombardus, *Collectanea in epistolis Pauli – in epistola I. ad Timotheum*, 5 (PL 192, col.354B-C).

Fons medius:

Qui bene presunt. De honore presbiterorum hic agit quasi Illud quod dixi de viduis obserua.

Et hoc etiam precipe de presbiteris. vt presbiteri qui bene presunt uita et doctrina digni habeantur. **Duplici honore.**

Boni enim dispensatores et fideles. non solum honore sublimi preuenire debent. sed et terreno. vt non contristentur indigentia sumptuum et gaudeant obediencia spiritualium.

Instantior enim fit. si non humilietur inopia. et crescit in illo autoritas cum uidet se etiam in precium laboris sui fructum percipere. non vt abundet. sed vt non deficiat.

Glossa ordinaria, liber epistolae Timothei, 5.17 (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Fontes primi:

Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore habeantur digni, maxime qui laborant in verbo et doctrina.

boni dispensatores ac fideles non solum honore sublimi digni debent iudicari, sed et terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, sed magis gaudeant fide sua et doctrina. instantior enim fit, si non humilietur inopia: et crescit in illo auctoritas, cum uidet se etiam in praesenti laboris sui fructum percipere, non ut abundet, sed ut de non fiat.

Ambrosiaster, *Commentarius in epistula ad Timotheum prima*, 5.17 (CSEL 81.3, H.I. Volgels ed., p.284, ll.7-15).

→ scilicet spiritualiter obediendo.
→ et exteriora subministrando
→ a subditis

Glossa ordinaria, liber epistolae Timothei, 5.17 *interlin.* (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).